

DIALOGUS
ΣΠΟΥΔΟΓΕ-
ΛΟΙΟΣ

Contrà Henotas.

Interlocutores

Galeatus, Albertus,

Leucomontius.

*De rebus Antichristum sequitur
Epicureismus.*



ROSTOCHI,

Typis Johannis Richelij, Sen. Typogr.

Anno 1650.

62

ta,

msel.

selius,

h.

dia



Nobilissimo Viro

DN.

JOACHIMO CRÜGERO,

Et Prudentissimo

DN.

SIGISMUNDO KLEVENA,

Fautoribus suis Summis

S. P. D.

JOS. ARN.

Quotidiè, Viri Summi, nascuntur novæ
opiniones, quotidiè novi libelli, nova
mala, quæ si quis novitatis arguat, antiquita-
tis larvâ continuò se defendunt. Quorum si
quis reus agatur, provocat illicò ad τὸ ἐνωθὸς,
& sic post carectâ latet. Testibus nec tabulis
nec signatoribus hic est opus. Perstrepunt o-
mnia Lyceâ ejusmodi duellis, quibusne fortas-
se studere videantur, Pacem olivamq; vittati
cataphracti præferant. Ignotum quibus est,
ijs hâc Schidulâ inimamus, nulla alia de cau-
sâ, quam ne quis Lysandri Vulpecula circum-
veniatur. Deus vobis nobisq; adsit! Valete &
rem benè gerite, nobisq; favete!

DIA-

DIALOGUS
DE HENOSI.

Galeatus. Albertus. Leucomontius.



AL. Totus gestio, atq; adeo omnibus lætitijs incedo gravidus, qui cum supervixi diem, quo pax est reddita meæ Patriæ. Nam profectò oraculum fuit, qui cecinit, *Pacem optimam reitum esse, quas homini novisse datum est.* ἄρα ἐγγήγορα ἢ πλαιῶσί με τῶν ὄνειράτων εἰκόνες; Sed ecum! oportune adest, qui cum communicare hoc meum gaudium queam. Salve mi Leucomonti! LEUCOM. Hic homo tantum non subsultat præ animi diluvio. Ibo contra. Quis me clamat? ALB. Salve, inquam, Leucomonti: LEUC. Eho, Salve & tu Alberte! Nunquid me vis? Video enim incredibili procul dubio εὐαγγελίῳ te gravidum. Quin ex promis, si quid addicunt aves? ALB. Omnino novus εὐαγγελιστὴς tibi ero. Pacem enim fero mecum. Pax est. Satin' causæ me habere putas, cur tripudiem? LEUC. Causarum satis superq;, si quidem vera prædicas. Nam Chaldæorum illud genus providum scio equidem hoc anno è

stellis singulare terrarum orbi bonum prædi-
cere. At enim tot jam delusus vanis vaticinijs
Epicharmeum illud meditor, ἀπιστείν. ALB.
Ne dubita. Non Apollinis magis verum est re-
sponsum, aut Sibyllæ folium, atq; hoc meum
nuntium, adeò ut mirari subeat, eccunde tan-
tus te inceserit stupor, ut nescias solus, quòd
toti Germaniæ jam est in ore. LEUC. Fateor,
mi Alberte, in studio curiositatis me & esse ho-
spitem, & stupidiorẽ quovis lapide. Qui
enim mos meus est perpetuus, abdo me in li-
brarium, ibiq; mundi curas & tumultus aut de-
fodio, aut debello. Sic condo ætatem, *securus*
quid Tiridatem terreat unice. ALB. Laudo. Nec
ego sum ardelio. Interim tamen homines su-
mus, quorum aures novitate gaudent. Et quan-
tumvis libri sint medicina animorum (quod
olim Rex Simandius bibliothecæ inscripserat)
tamen me hercule nisi remittatur interdù ner-
vus ingenij, aut animus aliquã externã dulcedi-
ne adspergatur, facilè rumpetur iste arcus. Id
quod tui causã abominor. Stude, ut diu studeas.
Non n. ideò vivis, ut studeas, sed ideò studes, ut
benè vivas. LEUC. Imò, ideò potius studeo,
ut benè moriar, nec dubito, quin tu qui es Phi-
losophus, ut si quis alius, scias *Θανάτης μελέ-*
την esse optimum genus Philosophiæ. De cæ-
terò, neq; ego alienus sum à novitate, præfer-
tim

tim si bona est, neq; ego tam ignarus vitæ hu-
manæ, quin probe noverim, *durabile non esse,*
quod caret alternâ requie. Sed de Pace, jam ac-
credo Tibi: Quamobrem hoc tantum super-
esse videtur, ut Deo gratias agamus, eumq; ca-
lidis votis veneremur, ut pacem æternâ nobis
concedat, *ὡς εἰρήνην ἐν κρείττω ἔχωμεν.* GAL.
Bonum Factum! Nam quid tandem fiet paci
Ecclesiæ? Nemon' audebit aut cogitare | aut de-
liberare de illâ, Leucomonti! quam toties Do-
minus Jesus inculcat, sine quâ externa pax nul-
la erit firma, sed omnis concordia *ὕψαλλος*
& ulcerosa. ALB. *Ναὶ τὸν ἔνα!* Hic homo
præfert grave aliquid & singulare. Quare o-
mnino audiendus est. LEUC. Tu prima mox
sermonis specie, primoq; in limine plaudis?
At at! Sed heus, mi Galeate, nihilne tu de pace
illa desideratissimâ nostræ Germaniæ? GAL.
Totus orbis jubilat, & tu solus dubitas? Con-
gerro iste tuus, quantum audio, dixit quod res
est. Quare id mitte & regibus commenda,
atq; in eam curam incumbere, ut Ecclesiæ pax re-
stituatur. Nam *dum inter seculares pacem quaerimus,*
dum discordes ad concordiam revocamus, a-
stimant seculares, quod pacem inter nos habeamus,
dum in vestimentis ovium foris eximus, & intus
quasi lupi rapaces gregem simplicem furtim lace-
rando dispergimus, pacem simulamus, sed non ha-
bemus, *Dumq; aut in nostris aliena, aut in alienis*
nostra

*nostra damnamus, mordentes in vicem, jam ferè
absurmi sumus, ut more meo cum antiquis Hi-
lario & Hugone loquar. ALB. Deus bone! ut
severe loquitur hic! Parum abest, quin mihi
sacer sit Euripides. Dispeream nisi me expu-
gnat sola hominis oratio. Nam quid dignius
est Christianâ meditatione, quàm pax tot ani-
marum? LEUC. Næ tu Alberte, verfutior es
rotâ figulari, qui discordiam seminans viatori
ostentas triticum Pacis. Equidem vel faci-
liorem vel inconstantiorem hominem te
hactenus vidi neminem. Qui initio nos
adoriebaris rebus novellis & fronte totâ ad-
risus jocosq; compositâ, jam derepente fa-
ctus es Cato, cui nulla placent ulterius Flora-
lia. At obsecro te, mi Galeate, quid rei tibi
cum Pace illâ, quæ Deo soli $\pi\alpha\rho\ \pi\alpha\sigma\iota\kappa\epsilon\iota\tau\alpha\iota$,
eiq; curæ fuit jam per sex ferè millenarios, &
in posterum futura est, me, Te nobisq; omni-
bus (utinam feliciter!) compositis? Equidem
rectè Albertus sic statuit, Christiano homine ni-
hil dignius esse hac meditatione; sed ego post
tot annorum labores, tot virorum summorum
Colloquia, Sessiones, Conventus, Scripta, Di-
cta, Studia, omnia deniq; facta, dicam inge-
nuè, despero illam pacem, quæ tibi somnos adi-
mit non secus, ac Græculo illi Miltiadis tro-
pæa. Accedit, quod in omni Historia sacra &
Ecclesiastica studium vestro simile non obser-
vem,*

vem, ubi cum' refractarijs partim, partim a-
 pertè blasphemis, &, quod caput est, errorem
 non agnoscentibus populus Dei & Christi qua-
 siverit unionem, quam vocatis, aut Pacem.
 Quare si me satis audias, id age pro eâ, quâ te
 pollere arbitror, eruditione, Veritas Dei ut as-
 seratur. GAL. Prævidebam hanc Concio-
 nem. Enim vero ista animi in fratres durities
 non potest mihi se probare. Lege mihi de Pro-
 phetis, de Evangelio, de Apostolis, similem pa-
 cis Christianæ detestationem. Nam, quod ais,
 Deo curæ hanc fore, nihil impedit, quò minus
 & nos Unum sapiamus in Uno Capite Christo.
 Scis illud, *Beati Pacifici!* ALB. Totus in tuam
 sententiam eo, mi Galeate, & quamprimum al-
 luxerit fortuna faculam nostris tenebris, co-
 ram sole ac die testatum faciemus nostrum
 iuvandæ huic causæ affectum. LEUC. Vara,
 quantum audio, vibiam sequitur. Sed in omni-
 bus vestris verbis, quæ sunt *folijs leviora caducis*
ὄδεν ὑγιές. Primò igitur velim ex te audi-
 re, quid Pacis nomine voces? GAL. Con-
 cordiam inter Ecclesias. *ταύτης ἢ μάλιστᾶ*
ἐφίεν) mortales, ut meus loquitur Aristote-
 les. LEUC. Inter Ecclesias pacem aut concor-
 diam? Atqui una est Ecclesia, eaq; Christi.
 Hæc nunquam est discors. Adeo si quas ha-
 bes tu Ecclesias alias, ex, cum ipso nomine
 sint ab hâc Una separatae, necesse est falsæ sint

saltim suspectæ; Jam verò illud Tui non spe-
ro te esse oblitū, ὄβιον προλιμᾶν πλὴν ἀλήθειας.
Quin idem ille tuus signanter olim scripsit,
τοῦ Φάουλως ὅτι οἰόντε ὁμοροεῖν πλὴν Ἰπὶ μι-
κρόν. Quod dictum postquam Philosophicè
etiam atq; etiam consideraveris, tum demum
θεολογικῶς id examina, & dabis manum.
ALB. Aristotelis in verba & ego juravi. Sed
unde huic tanta sapientia tam citò tamq;
repente? GAL. Quandoquidem nil nisi scri-
pturas audis, quod scio, quæso te, redi ad tu-
os amores, & memento horum: *Quærite pa-*
cem & venamini eam; Quantum in vobis est,
colite pacem cum omnibus. Εἰρήνη ὑμῶν & in-
finita quæ sunt alia. LEUC. αὐτὴ μὲν μήμεν-
θη ὅτι δὲν ἔσπασε. Dicam itaq; semel, ut sci-
as semper, Hoc à tot jam annis observo, Dia-
bolum ejectum per anticum, irreperere per po-
sticum. Quare auctor tibi sum ex animo
coram Deo & omnibus Electis, vide ne incon-
siderato pacis studio tibi imponat *Circumscriptor*
ille coluber, quem vocat Tertullianus tuus.
Nam ista, quæ laudasti, dicta non svadent Con-
cordiam cum hæreticis, quos facit pertinacia.
Quid videtur de illis? *anima mea non veniat in*
consilium eorum. *Beatus qui non ambulat in Con-*
silio impiorum! *Hæreticum post iteratam adbor-*
sationem fuge. Vis Exempla? Respice, quod
alias

aliás citas, antiquos. Cerinthum ne balneum
quidem socium voluit Johannes habere. Ma-
netem tanquam *Primogenitum Satanae* ne salute
sua dignum quidem iudicat Polycarpus. ALB.
Pax! Pax! *Parcius ista Viris*. Recogita cujus
Spiritus filius sis. LEUC. Imò vero. Isthuc
ibam. Vide, ne tu in illorum scribaris nume-
ro, qui *κλιμαξοί* sunt, atque idcirco ex ore Do-
mini evomentur tanquam despuenda purga-
menta & religionum verticilla. Nam Deus
non *μυκτηρίζεται*. GAL. At tu *ὡς γυναιξί*, ni-
hil nisi hæreticum crepas, sed scin' tu, quinam
sint hæretici? LEUC. *Parce metu, ὡς γαβῆς*, &
si placet, vel ex antiquorum tuorum princi-
pe Augustino *lib. de litul. Cred.* id ipsa audi.
Is enim hæreticum eum dicit esse, *qui alicuius
temporalis commodi, & maxime glorie princi-
palisq; sui gratiã falsas ac novas opiniones vel
GIGNIT vel SEQVITUR*. Et Chrysostomus
tuus ad Gal. v. Matrem hæresium dicit esse.
τινὶ τῶ Φιλαρχίου Περθουμίου. Quin & ve-
tustissimus Justinus M. vel quisquis ille *Quæst.*
IV. omnes hæreses scribit occasionem sumsisse
ἐκ φιλοδοξίας. Quamobrem ut tibi bene cu-
pio, sic & amicè consulo, cave, in te hæc ve-
ra fiant. GAL. Certus sum, causam Dei à me
agi. Frustrà igitur *δημιουργεῖς & vento verba
profundi*, hæc quidem de re. Sed accipe con-

trā, quid juxtā mecum sentiat Salvianus, qui
de Arianis sic scribit: *Hæretici sunt, sed non
scientes. Deniq; apud nos sunt hæretici, apud se
non sunt. Veritas apud nos est, sed illi apud se
esse præsumunt. Et mox: Errant ergo, sed bono
animo errant. Et quamvis non habeant rectam
fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant ca-
ritatem, & qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis
errore in die judicij puniendi sint, nemo potest
scire, nisi judex. Interim idcirco eū, ut reor, pa-
tientiam Deus commodat quia videt eos etsi non
recte credere, affectu tamen pie opinionis erra-
re. Habes. Recipe ferrum! ALB. Ictus pro-
fecto ipsi jugulo impactus, & quem exire
quo velit artificio equeidem audire animus
prægestit. LEUC. Nimirum nullus Gorgoni-
us tam foetidus est, qui se non putet pastil-
lum olere. Et quamvis non dubitem idem
sensisse in τὸ πρὸ βασιλέων divitem illum, ad-
eoque jure optimo possim respondere cum A-
brahama, *Habent Mosen*; tamen quandoqui-
dem ex antiquitate totus perijisti miser, non
possum quin te apertissimæ cæcitatatis ex illâ
ipsâ convincam. Ecce enim Salviani verba:
*Errant. Non habent rectam fidem. Apud nos
est Veritas. Puniendi sunt in die judicij.* Con-
cede hoc, & tum lege de ullo Patre, ecquan-
do, ubi aut quomodo vetus Ecclesia cum Ar-
rianis*

rianis inierit Concordiam, fecerit Pacem,
Unionem deniq; quæ omnia tu urges. ALB.
Non putâram. Fortiter retorfit hoc telum,
& quamvis existimaram, in firmo illisum fu-
isse dentem, tamen jam video sentioq; im-
pactum solido. GAL. Fateor. Aliquid dicis,
Leucomonti, sed interim excusat tamen.
Quid mihi itaq; hodiè dicam scribitis idem
factitanti? Omnia munda mundis. LEUC.
Longè abis. Nam tu nec excusas tantùm nec
toleras, sed ijs te adjungis, Fratres salutas, in-
fers Concilio Jovis. Væ ijs, qui vocant ma-
lum, bonum, atq; ita faciunt *candida de ni-
gris & de candentibus atra!* Quid Christo cum
Belial? Luci cum tenebris? Israëlitæ cum Mo-
abitis? Aut si me fortasse non satis audis, ut
qui major es, at patere saltim pro me loquen-
tes tuos Patres. En tibi illorum catalogum.
Nazianz. *ἡρετῶν* dicit esse *ἐμπαθὲς ὁ ΜΟ-
NOIAC τὴν ὑπὲρ ἁσεβείας ἀγάσασιν.* Hi-
lar. *Speciosum quidem, ait, est nomen Pacis &
pulcræ est opinio Unitatis. Sed quæ ambigat, il-
lam unicam Ecclesiæ Pacem esse, quæ Christi est?*
Hieronimus. *Volumus, inquit, & nos Pa-
cem, sed Pacem Christi, Pacem veram, Pacem si-
ne inimicitijs, Pacem, in quâ non sit bellum in-
volutum, Pacem, quæ non ut adversarios subji-
ciat, sed ut amicos jungat.* Bernhardus: *Ne ti-*
meas

meas admonet contra charitatem esse, si unius
scandalum multorum recompensaverit Pace, Me-
lius enim est, ut pereas Unus, quam Unitas. Leo:
Hæc vera est Pax, à Dei voluntate non dividi,
Augustinus: si ergo perverforum nequitia in
Pace jungitur, profectò eorum malis actibus ro-
bur augetur. Deniq; ut nodo Herculeo hæc
constringam. Sic imperat Supremus ille Pa-
ter omnium, quæcunq; cælum & Terra su-
stinent, *Diligite Veritatem & Pacem!* Sic contra-
venientes increpat: *Usquequò claudicas in duas
partes?* Sic hortatur rerum sacrarum histrio-
nes: *Nolite quovis vento doctrinæ circumagi &
κλυθωνίζεσθαι.* ALB. Mirum, unde ista cor-
raferit. Nam aliàs nec mille Augustinos nec
Hieronimos totidem audiunt aut curant,
qui ejus sunt cives, puri puti Karraitæ GAL.
Parùm abest, quin me adobruas tantâ aucto-
rum phalange, quos Te diligentius & κελυ-
κώτερον multò legi. Sed tamen, *insanne li-
bet quoniam tibi,* mitto ista, & quæro, quid
statuas de Symbolo illo Apostolico, quod ve-
teres *Fidei regulam. Regulam veritatis* appellant,
quodq; docebant Catechumenos, *ne cui dorum
hominum memoria laboraret, ut omnia posset tenere
quod credit,* quemadmodum testatur Augustinus.
ALB. Labet hic audire, quid repositurus sit
rigidus noster Censor, & tantum non Æacus
supe-

Superior. LEUC. Hoc nimirum, quod sana
Antiquitas, Symbolum Apostolicum pie sim-
pliciterque, sensu Ecclesiae & Catholico juxta
ἐναλογίαν fidei creditum, sufficere omnino
ad salutem. GAL. Vicit nostra sententia.
Idem nobiscum sentis. Multum te amo. Be-
ne sit istis verbis! LEUC. Mirum, quam faci-
le homo quod vult, credat. GAL. Quid ita?
Annon statuis, Pontificium aut Arrianum id
credentem & Monachum quemcumque id de-
murmurantem salvari! LEUC. *ὅσον ὀργάνος*
ἔσ' ἀπειραίνης tam longe absum ab ista omni-
um haeresium latrinâ & sentinâ horribili, &
opinionem fidei procellâ. Id quod ne te,
quod saepe tibi accidit, in iram concitet,
prolixius monstrabo. Symbolum illud
profectum est à Romana Ecclesia. Hoc non
potes nescire, qui nihil fere eruditi ignoras.
Deinde, è Scripturarum Canoniarum fonti-
bus rivuli instar est in breve angustumque spa-
tium contractum, quemadmodum & Nice-
num & Athanasij & Orientalium alia, quaeque
passim in Concilijs leguntur. De eo scribit
Augustinus, *reducta esse ad unum Symbolum quae*
per scripturas divinas sunt sparsa lib. i. de Symb.
c. i. Scribit iterum: de C. D. 15. c. 17. *Sec-*
cundum hanc fidei regulam exponendos esse locos
obscuros, idque eâ ratione, ut illud quod obscure
dictum

dictum est sic intelligatur, ut huius manifestum non
inveniatur contrarium, quia haec apostolica &
manifestissima testimonia falsa esse non possunt,
Enchirid. cap. 68. Sic & Beda in Joh. l. i. c. 4.
videndum esse monet, ut secundum fidem sit
Sacramenti divini expositio. Hinc clarè vides,
quid velim. Nimirum, recitare posse, non
esse credere, scire, non esse intelligere Sym-
bolum, Ad fidem autem requiri notitiam, sci-
entiamq; , si qua fides Esaiaë cap. 53. Scien-
dum itaq; , & credendum, & credendum intel-
ligendum est illud Symbolum per omnes fidei
articulos, ut loquuntur, ne Psittacæ id scire
credantur, non homines. In sacra enim pa-
gina divinitus inspiratâ omnia credenda resolu-
vuntur & reducuntur in ipsos articulos. Ipsi
autem Articuli secundum quod ejusmodi non re-
ducuntur neq; resolvuntur in alia, uti scribit
Ægid. in Tract. de Arc. Noæ. Jam verò si
quæras è Photiniano, Anabaptista, Romanen-
si, Genevensi & deniq; quò non? annon cre-
dat quod isthic verba sonant, quid credas eum
responsurum! Haud dubiè; quod tu inferis:
Credo omnia. Porrò si, quod dictorum virtus
(ut ait Hilarius) postulat, quod Scriptura alibi
κατὰ πλάτῃ καὶ σαφέστερον exponit, roges,
de Deitate filij hominis, de Ascensione, de
sensione ejus ad dexteram, de Merito & Sa-
tisfa-

tisfactione ejus, de Præsentia ejus, & sic deinceps, respondebit quod olim ille de Augustana Confessione, *Ut Pium agnosco ita & subscribo & credo*; Atque ita, contra quam Thomas docet in Summ. Part. 1. 2. art. 6. in doctrinam sacram infert *sua Principia præsupposita ab aliquâ scientia humana*, & quod alicubi inculcat Hilarius, *sensum quem inde auferre debebat temerarie affert*, & non discipulus est, sed Doctor, *non sectator, sed institutor*, quomodo in negotio planè simili loquitur rursus Lerinensis. At quâ conscientia poterò hoc Fidem dicere, hoc vocare, Symbolum Apostolicum credere, quod quis suo sensu accipit, & ex sua mente credit, quæ vitio est infecta. Postremo quid cum eo agas, qui quoniam ea quæ per bonam Consequentiam (sicuti Scholæ loquuntur) è scripturis eliciuntur, non recipit, dubio procul ne Symbolo quidem, utpote totidem verbis in Scripturis non comprehenso, fidem habeat, aut illius gratia multum laborabit? Vide, quò te præcipitet tua in rebus tam arduis facilitas! Dicam aliud. Ante adventum Christi Pharisei auxerant numerum legum statutorumque divinorum suis traditionibus, invexerant humanos abusus, detestabiles errores de Messia, de Lege, de Sacrificijs, adeoque religiosi erant

sine

sine religione; Si tu vixisses tunc ætatis, quid
aliud potuisses facere aut dicere, quàm quod
jam facis. Nimirum proposuisses aliquam
ἐκθεσιν πίστεως & quæsiuisses, annon crede-
rent illam? Illis autem intrepidè affirmanti-
bus, laxo protinùs sinu omnes recepisses in-
trà gremium Ecclesiæ. Mox si qui sese op-
posuissent, respondisses, in fundamento eos
non errare, nihil esse periculi, quamdiu in
articulum fidei fundamentalem non impinge-
rent. At quid Christus. Væ, Væ suum intonat,
& jam *μοιχαλίδα γενεάν*, jam *τυφλὸς ὁδηγὸς*
nominat, quin & notabiliter addit, *in foveam*
trahere secum cæcos. Nempe & Duce & sequen-
te pereunte. GAL. Adeo spinosè adeo asperè
sinuoseq; loqveris, ut *λοξίας* propè videaris.
LEUC. Credo. At tu si quid habes, illud i-
plum dic & mitte malè loqui. GAL. Num
tu ergò damnas, & Orco rotundè adjudicas,
qui cunq; non tuo sensu credunt? ALB. Re-
ctè! Hoc iuvat & melli est. LEUC. Meo sen-
su? Maledictus sit sensus, qui Scripturæ non
est. *Ubicunq; enim Scripturas non interpretor,*
sed liberè de meo sensu loquor, arguat me qui-
libet, ajebat olim Hieronymus. GAL. Nun-
quam erimus *ὁμόφρονες* nos ambo. Adeo
incredibili modo nostrum discordat astrum. Tu
vehemens, ego placidus, Tu pertinax, ego
faci-

facilis, tu damnas, ego absolvo, tu desperas,
ego bene spero. LEUC. Nisi tu in viam re-
dieris, non optârim tuâ in pelle quietere.
Tu enim tepidus es, utinam ego fervidus
Spiritu, tu toleras Nicolaitas, Ego non per-
tinaciter, ut tu cavillaris, sed constanter o-
di, ego non damno, sed damnans verbum
Jesu Christi, ut jussus & vocatus sum, liberè
pronuncio, præco tantùm, minister tantùm;
Tu bene speras & malè senties, Ego despe-
rata despero. Deniq; tu, ne nescias, cum
istâ tua, quam jactas, facilitate, ingeris sæpe-
numerò aculeatissimos palinuros, qui singu-
li plus fellis sub lenitate tegunt, quam sex-
centa mea fulmina fortassis calidi. GAL.
Quisquis tandem erit successus, aut exitus,
laudabile nihilò minus est propositum, atq;
iccirco alacriter persequendum. Quo du-
rior pugna, eo gloriosior Victoria. ALB.
Pro Philosopho loqueris, ô Zenodote. LEUC.
Istâ anser singula verba inter strepit, nec quic-
quam tinnit solidi. Hoc unum agit, ut quic-
quid olim linxit alieno ex ore sputi, id nunc
importunissimè effutiat, & omnes suo stri-
dore paludes & stagna impleat. GAL. Sine
eum loqui. Sæpè etiam infantes vera blati-
unt. LEUC. Ne sim saluus, nisi ille in tua sar-
tagine coctus didicit hanc stribliguam di-
cendi.

B

cendi.

cendi. Sed esto. Neq; enim sæpè fit, ut mu-
sæ excitent leonem, quamvis & vel catulos
adhuc luporum in nidis debeamus suffoca-
re. GAL. Sed tamen ô Generose, quid vide-
tur de hoc uniendarum Ecclesiarum medio,
quod olim Wicelius in Via Pacis invenit:
Dedat cognoscendum sese atq; iudicandum tam
Papa quam Lutherus communioni Patrum, qui
ante mille annos Ecclesiam Christi rexerunt,
& ad horum arbitrium reformetur uterq;. Id
enim consilij immane quantum apud me ha-
beat authoritatis & ponderis. ALB. Et ego
totus jam impallesco lectioni horum Patrum,
è quâ spero incredibilem in me redundatu-
ram esse utilitatem. LEUC. At tu, ô Galea-
te, soles antiquorum sequi consilia. Quid igi-
tur te impulit, ut Apostatæ utereris ἀβυσλίας?
Quin potiùs antiquum Augustinum audi de
Unit. Eccles. Cap. 3. Nolo, inquit ille, huma-
ni documentis sed divinis oraculis Sanctam Ec-
clesiam demonstrari. Et mox: Ergò in Scriptu-
râ Sanctâ Canonici requiramus. Et Optat.
Milev. contr. Parmen. lib. 5. in certamine
cum Donatistis: Dubitatur, inquit, an post
Trinitatem in eadem Trinitate hoc verum liceat
facere. Vos dicitis, Licet. Nos dicimus, Non
licet. Inter Licet vestrum, & Non licet nostrum
visus & remigant animæ populorum. Nemo
vobis.

vobis credat, nemo vobis. Omnes contentiosi ho-
mines sumus. Quarendi sunt iudices: Si Chri-
stiani, de utraq; parte dari non possunt, quia stu-
dij veritatis impeditur. De foris quarendus est
iudex. Si Paganus, non potest Christiano secre-
ta. Si Judaeus, inimicus est Christiani bap-
tismi. Ergo in terra nullum poterit hac de
re reperiri iudicium. De caelo quarendus est ju-
dex. Sed ut quid pulsamus ad Caelum, cum ha-
beamus hic in Evangelio Testamentum. Et mox:
Is cuius est Testamentum, in Caelo est, ergo vo-
luntas eius velut in Testamento, sic in Evange-
lio inquiratur. Nisi tu fortean eos inter esse
mavis, qui Nasum cereum esse scribunt hoc
Evangelium. GAL. Omnia iracunda. Nihil
audio modesti: Sed tandem, ὡς ἀγαθὸς, cur
ita desperas, cur tantoperè Pacis nomen ju-
cundissimum tam calide detestaris. LEUC.
Nempe nec Pacem, nec Pacis nomen, sed
tuum in re penè conclamatà Pacis vetitæ di-
vinitus studium & prætextum serio detestor.
Primò enim qualem Pacem desiderem, ante
audivisti ex Hieronymo. Jam quo jure tuam
Pacem desperem, accipe rotundè & pro eo
ac ingentum Theologum decet, candidè.
Nam quæ Ecclesia nec Scripturæ Sacrae est
addicta, sed traditionibus, decretis & statutis
hominum partim absurdis partim impijs, quæ

Ecclesia Capiti Christo blasphemè Pontificem
suum aut præponit, aut æquat, quod decre-
ta passim docent; Quæ Ecclesia Idololatrica
est, adorat ligna, lapides, cineres, quæ Me-
diatores sine Christo invocat, Mariam, San-
ctos, Martyres, Apostolos; Quæ Superstitio-
sa est, & lac Mariæ, unguis asini & so-
phæ, dentes Antonie & id genus sexcenta
Satanae stercorea populo vendit, eumq; remit-
tit ad indulgentias, ad Purgatorium, ad Mis-
sam, ad Peregrinationes; Quæ dijudicat ple-
bem in cibo & potu, in diebus festis, Neome-
nijs & similibus; Quæ Ecclesia fidem non ha-
bet, nec $\pi\lambda\eta\rho\varsigma\ \phi\omega\epsilon\iota\alpha\varsigma$ (jubeat enim de Salu-
te dubitare) Ministros habet, Parricidas, ci-
nados, Phariseos, flabella seditionum, cym-
bala mundi, organa Spiritus mendacis; Quæ
Sacramenta partim mutilat, truncat & an-
tiquat **NON OBSTANTE** Christi infi-
tutione, partim plura propria auctoritate con-
trà Deum & ejus verbum introducit; Quæ
Ecclesia igne, rota, ponto, funibus, en-
se innocentes oviculas, non convictos erroris
greges persequitur occidit, suffocat, maculat,
jugulat, ea est Pius omnibus ex animo dete-
stan-

standa, fugienda & despuenda tanquam Sy-
nagoga Satanae & sterquilinum hircorum,
nec ullo modo in unionem & foedus fidelium
admittenda, nisi ad sanitatem sapere caepe-
rit, Deniq; e qua ante centum & amplius
annos singulari Dei beneficio tanquam da-
mns ex peccatis erepti sumus, ad eam redire
eam pro Christi Ecclesia agnoscere nec de-
bemus, per Deum, nec possumus, per salu-
tem, nec volumus, per studium bonae consci-
entiae & fama honestae. ALB. Fulminatus
sum hac severissimâ pronunciatione. GAL.
Non primus hic est dies, quo ista audio. Sed
ego totus in alia omnia eo. LEUC. Satis scio,
& optarim ut aequè rigidus sis in fidei rebus,
ac es in punctis Grammaticis confodiendis
atrox & truculentus Aristarchus. Enim vero
haec $\sigma\omega\mu\acute{\upsilon}\lambda\upsilon\alpha\tau\alpha$ mitto, & ad alteram par-
tem transeo. Igitur, quod Deus bono omi-
ne firmet, Quae Ecclesia fidei $\pi\lambda\eta\rho\phi\omega\rho\epsilon\acute{\iota}\alpha$
nec docet nec habet, sed ad suum Fieri po-
test simplices animas rejicit; Quae ante tot
seculi in Berengario est damnata, quae in De-
um blasphema est, ut quem Tyranno quo-
vis crudeliorem fingit, docente contra Pesca-
torem Petro Bertio peculiari libello, quae Sa-

eramentum Christi varijs glossis interpolat,
in Christi Humanitatem injuria est, Bap-
tismi à Christo ordinati virtutem & efficaciam
negat, Spiritum Sanctum hypocritam & men-
dacem facit, ut qui aliter loquatur sentiat,
Deniq; à quâ ante seculum & quod excur-
rit secessionem fecimus, cum eâ, quæ errores
suos quotidie novo pallio obvelat, cum eâ,
inquam, salva reverentiâ, quam Christo de-
bemus illæsa pietate, quâ animæ obstricti su-
mus, integrâ famâ & existimatione nostrâ,
nî ad sanitatem sapere incipiat, in Unitam
Corpus coalescere nec possumus, nec volumus,
nec postremo debemus. Hæc si cui nondum
sufficiunt, ei ipsa Salus, si velit, mederi nul-
lo pacto potest. ALB. Satis pro imperio.
GAL. Vetus est hæc canti lena, sed hoc u-
num superest ὡς ἀρχικέρας, quod tua ful-
mina rediget in nihilum, unde orta sunt,
Quæ Ecclesia in fundamento fidei à nobis
non dissentit, cum eâ Pacem facere omnino
possumus. LEUC. Certè si quod est παλαιὸν
ἄσµα, hoc profectò est. Nam Consensum
in fundamento fidei vocamus Consensum in ijs
doctrina Christiana capitibus, quæ Universis &
singulis, fidelibus ad salutem eternam in Christo

consequendam scitu creditur, sunt necessaria.
Jam ex antè enumeratis accurate & sine præju-
dicio examinatis patebit tibi prorsus contra-
rium tuæ ὡς ἑρησολόγη persuasioni, quam com-
munem cum seqviori parte habes. Quare
ne tibi temporis tui lucrum intercipiam ad
unum eumq; solum *Hutterum* nostratem hac
quidem vice relegatum te volo. ALB. Iste
Terminus nulli cedit. Sed tu ὡς *Προβήτα*
perge. GAL. Hæc quidem quantacumq; sunt
à pacis & Concordiæ studio me non revo-
cant. Nihil enim audio, quod tam sancto pro-
posito securim possit aut tragulam injicere.
LEUC. Polypus es, semel quod arripuisti, te-
nes. Noli autem, quia semel hoc pelagus
ingressus es τὴν πρῶτον ἀν κέρσασθαι nisi prius
audita nostrâ sententia plenè & intellectu
planè. Nam aut justis & sufficientibus de-
causis à Pontifice & Genevenfibus ante secu-
lum recessimus, aut contra. Aut à Deo id
factum, aut à Malo. Aut fuerunt errores
istiusmodi qui salute privarent adeoq; *funda-*
mentales, aut non fuerunt. Alteram horum
omnino probes necesse est, sine distinctioni-
bus, subtilitatibus aut rhetoricatione. GAL.
Distingere prorsus oportet inter hæreticum
& hæreticis credentem cum Augustino. ALB.
Ita quidem fas esse statuo. LEUC. Alterius

loci res agis. Ad istos enim clamores ad fa-
rietatem usq; respondere nostri. Etenim
primò manifestus est locus Christi, Phariseis
exprobrantis, quod maria & terras perambu-
lent, ut unum acquirerent Profelytã, pe-
jorem ipsis futurum. Apertissimus est locus
Joannis. *Exire jubentis e Babylone, ne partici-
pes siamus plagarum illius.* Cur jubemur exi-
ro? Nimirum ne in partem pœnarum Ro-
manensium veniamus. Quid potest scribi
clarius? Aut igitur jure recessimus, meritò
exivimus, piè bellum indiximus, aut contrà,
sine necessitate, studio novitatis, gloriæ, pri-
matus quod est hæreticorum, teste *Justino.*
Si jure, non licet reverti, si merito, non
possumus redire, sine injuria, nec in eum
offendere sine crimine impietatis scopulum,
quem Deo duce enavigavimus. Hoc enim
foret, nuntium *Columnæ igneæ* remittere, &
salutem manibus pedibusq; se amoliri, &
concitato cursu ferri in antliam Ægypti.
Id quod deprecamur. GAL. Ne sævi; Non
enim hoc adeò impugno, quin potius id a-
go, ut certa viâ possim illos ad nostras par-
tes traducere, ut qui non de illis immeritò,
sed jure optimo, illi autem de nobis, tan-
quam Lucifer de societate cœlesti, recessi-
mus. LEUC. *ὦ καλὲ θεὸς* quid erit cum ra-
tio-

tionem insanire, si hoc non est? *Invitum qui servat, idem facit occidenti.* An tu illorum ades caduceator? An juste pieq; legatus venis? Num jussit te populus Romanus fecialelem esse? Vide, num illi ipsi, quos tuis servatum, velint servari. Annon potius syncretismum, quem salutant, dentatissimis libris publicè oppugnant, qui *de Pace* scripsere *Germanie*? Qui te pro hæretico in hunc usq; diem & armis & stylis insectantur ad ortum, hoc tu putas posse tuis curis redigi ad unitatem; Qui simpliciter furunt, hos tu panacæa tua hæctenus irreperatâ speras restituere τῆ ὑγείας; At scriptura in diversa omnia discedit, præsertim in *Thessalonic. Posteriori* & tota *apocalypsi ἐκποδὸς εἰς κεφαλὴν.* Imò illi ipsi quidvis potius volunt, quàm ad nos redire, adeò ne minutissimum quidem errorem in sese aut labem agnoscunt. Deniq; ex altera parte à te Conciliandorum sunt, qui edidere *Romam Irreconciliabilem*, Ex nostra sunt, qui scripsere, *Calvinismum Irreconciliabilem*, neutra parte studium scriptionis aut scopum improbante. Tu solus obsistis & in unam placentam conglobas tot furfurum tot palearum stribfligines. *GAL.* Spero aliquem *ἀπο μηχανῆς* Deum. Neq; enim verò ego solus aut primus id aggredior. Fecere id *Cochleus, Hoffmeisterus, Albertus Pigbius,*

Georgium Cassander, Erasmus, Vicelius, Antonius
de Dominis, Modrevius, Grotius, Davenantium,
Dureau, Gothofredus Hotton, Joannes Spotswa-
du, alijq; plures. LEUC. Pareum omittis &
Hutterum. GAL. Scio, & prudens omitto.
LEUC. Nimirum non sunt tui saporis. At
quid videtur tibi de Formula illâ Facis & Con-
cordia, quam majores nostri proposuere?
Annon illa possit esse regula firmandæ inter
nos Unionis? ALB. Formula illa in multis
est informis, quantum ego judico, & à Ga-
leato & me non magni æstimatur. GAL.
Tam crasse ego non soleo loqui, ô Alberte.
In Formulæ illius verba, Leucomonti, à me
non est, quod sciam, juratum unquam. LEUC.
Clare dicis, quod sentis, & jam prævideo,
quorsum eas. Sed unum adhuc restat, quod
mehercule dubium mediumq; me tenet, &
nonnunquam in diversissimas rapit cogitati-
ones. ALB. Quid hoc sit futurum monstri,
aruspex nullus possit prospicere. GAL. Si
quæ te coquit cura & versat sub pectore fixa,
eloquere, Exple ut enim lacrymis & verbis ege-
ritura, dolor sæpiuscule. LEUC. Hoc præfa-
bor, ne in iram incidas. GAL. Nihil est pe-
riculi. Nostri enim à quod jam annis patiens
sedeam. LEUC. Imò *ὡς λύκος ἀνοφιλῶν*.
GAL. Quod jam tandem patientia mea sic
furor,

furor, veteri proverbio evenit & vestra la-
cessentium culpa. LEUC. Rem verò egregi-
am! Volitante in jugulo Catilina, tacendum
esse Consuli? GAL. Scilicet tu Consul es,
Leucomonti, & Dictator sedes in Cathedra
Mosis. LEUC. *Ἰνφύμῳδῳ, τὰῦτ' ἐστὶ*, Galea-
te, nec penetrent ista tela meam lorica, qui
munitus sum cingulo veritatis. ALB. Inte-
rim Galeatus ulcus tangit satis periculosum.
GAL. Tace sis, aut loquere cautius, Alberte!
Sed dic, ô Leucomonti, quid tandem te ur-
get scrupuli? LEUC. Me quidem non adeo
urget. Quid de te sit futurum, tu videris.
Nam dum Pacem, Concordiam, Unionem
spiras totus, & more Henotarum nihil non
largiris, observo in tuis scriptis feri hinc in-
de variarum opinionum Zizaniam, & no-
vantiquarum hæreseon serpilla, de Peccato
originis, de Filio adoptivo Elipandi, de Fun-
damento fidei, & alia, quæ postquam in So-
lem emergere caput, flaccescere incipiunt
& putrescere non sine pestifero circumjacen-
tibus foetore. Quæ autem est illa Pax litium
seminans. Imò verò sapientum omnium judi-
cio præstat apertum duellum paci, sub qua
arma latent. Quare aut sine cuniculis & cæ-
cis fossis rem gere aut cane classicum, & mi-
lita machinis, quod est gloriosum. GAL.

Quam

Quam verè dixit Hieronymus, *Sacerdotem indoctum esse Cæcum animal!* Quicquid enim in tuo horto non nascitur, id tu omne censes esse aconitum. Ego quicquid scribo, id auctoritate antiquorum Patrum scribo. **ALB.** Hos & ego præpono mille Leucomontijs & nocturna diurnaq; manu verso quotidiè. **LEUC.** Atqui & serpens antiquus est. Quare si hujus morsum effugere cogitas, solū Scripturū hunc timorem honoremq; deser, ut nullum earum auctorem scribendo aliquid errasse credas; alios autem ita lege, ut quautalibet sanctitate doctrinaq; præpollent, non ideò verum putes, quia ipsi ita senserunt, sed reliquā nosti. Atq; ita quod in eū divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude eorum accipe, quod autem non congruit, cum pace eorum respue, monitore Augustino contr. Crescen. l. 2. c. 32. **GAL.** Fatum id est seculi, discere ab ijs, quos possis docere. Quare hoc tibi condono & ad feria mea revertor, teq; Alberte, jubeo valere. **ALB.** Siccine me sub cultro linquis, qui tecum vivere antem tecum ob-eam libens? **GAL.** *Dij meliora pijs, erroremq; hostibus illum!* **LEUC.** *Paries hic brevi corruet.* Nititur enim, quantum video, peregrino tibicine. **GAL.** Vale, Leucomonti. Opto tibi *ζῆλον κατ' Ἡ- γνώσιν.*

γνωσιν. LEUC. Antequam discedamus, Galeate, more solenni veterum accipe hoc mei *μνημόσυνον* ex Augustino, ut videas nec alienum me esse ab Antiquitate, nec à Pace Ecclesiarum in Domino; Unde cum, Prolatum esse Testamentum, legatur. Quare litigas? Fratres sumus. Quare litigamus? Non intestatus mortuus est Pater. Fecit testamentum & sic mortuus est, mortuus est & resurrexit. Placetur animus noster, non sine Testamento nos dimisit pater. Qui fecit testamentum vivit in aeternum, audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus, quid litigamus? Ubi inventa fuerit ipsa hereditas, ipsam beneamus. Aperi Testamentum! Aperi, mi Galeate, & ex eo, Secundum illud, cum eo de Unitate, de Pace age cum quibus illud ordinat, & (solemni voce) mandat. Ultima illa est voluntas, postrema manet. Nihil ultra. Memento mori. Vale. GAL. Vale & tu. AD. Valeant utiq; , qui inter nos dissidium volunt.

FINIS.



Rob. Holcot

*Hominem posse mereri per fidem
erroneam, etiamsi contingat, ut ado-
ret Diabolum.*

Juell. contr. Harding.
p. m. Apol. 78.

A Scanius Cardinalis psitta-
cum habuit ita institutum, ut
omnia fidei capita à primo ad
extremum articulatum pronuncia-
ret, non dices tamen puto hunc Psit-
tacum in Deum credidisse vel Chri-
stianam fidem intellexisse. Fides
enim in animo sita est, non in lin-
gua. Fieri potest, ut integra quis
teneat verba Symboli, & tamen
non rectè credat. Augustin. contr:
Donat, l. 3, c. 14.



Rob. Holcof

Homineus posse merere per fidem

erroneam, etiam si contingat, ut ad-

et Diabolus.

suell. conr. Harding.

p. in. Apol. 78.

Alexandria Cardinalis p[ro]f[ess]or
 cum dicitur ita institutum, ut
 omnia h[ab]et capita & primo ad
 extremam articulationem p[ro]nunciat
 et, non dicit tamen p[ro]p[ri]o p[ro]p[ri]o p[ro]p[ri]o
 factum in Deum credidisse vel Chr[istu]m
 factum h[ab]ere intellexisse. Fides
 enim in omnino facta est, non in im-
 p[er]fecta. Fieri potest, ut integra p[ro]p[ri]o
 beneat verba symboli, & tamen
 non recte credat. Augustin. conr.
 Donat. l. 3. c. 14.

INDEX

Tm365

ULB Halle
004 757 19X

3



VD77

MC

M.

37.6
116

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
 LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

